



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibus Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Vtrum diuisim possit idem effectus naturaliter esse à pluribus causis
totalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

iam effectum
ab illo au-
ferri necesse
est.

causa conseruaretur. Probat, nam omnis effectus quatenus à causa est, pendet ab illa: solum autem potest pendere quamdiu causa est, quia ab eo, quod non est, nihil pendet, præsertim efficienter, vt in superioribus offensum est: ergo ablata causa, à qua effectus efficienter procedebat, necesse est, vt tollatur aliqua dependentia talis effectus à tali causa. Hæc autem dependentia non est aliud ab actione, vt supra etiã probatum est: ergo etiam necesse est, vt ablata causa auferatur aliqua actio eius circa talem effectum: non tamen necesse est auferri ipsum effectum, quia alia causa sufficiens per aliam actionem propriam & totalem illum in esse continet. Et hinc confirmatur, quod antea dicebamus, quamuis effectus sit vnus, si causæ sint plures & totales eiusdem ordinis, necessarium esse, vt actiones sint plures, quia cessante influxu vnus causæ, ex necessitate tollitur eius actio, quia tollitur dependentia ab illa, & nihilominus manere potest actio alterius causæ, quia cum totalis sit, & non sit subordinata alteri, conseruare potest actionem suam, etiam si alia cesset ab agendo: ergo necesse est actiones esse distinctas.

Secunda assertio.

XXII.
Naturaliter
nequit idem
effectum à
pluribus non
subordinatis
agentibus, to-
taliter di-
manare.

SEXTUM argumentum postulat, vt de secunda sententia iudicium feramus. Dico ergo secundo, fieri non posse naturaliter, vt idem effectus à pluribus causis totalibus simul efficiatur. In hac conclusione fere conueniunt Philosophi: eamque significauit Aristoteles quinto Metaphys. capite secundo: dicens enim posse dari plures causas eiusdem effectus, addidit, sed non eodem modo, vt notarunt D. Thom. & cæteri interpretes. Qui omnes non solum intelligunt hoc non posse fieri naturaliter, quia applicatio plurium agentium per se sufficientium naturaliter fieri non potest: hoc enim & incertum est, vt argumenta tangunt, & valde remotum & accidentarium: sed intelligunt, etiam facta applicatione plurium agentium ex se sufficientium (siue illa applicatio naturaliter contingat, siue ponatur supernaturaliter fieri) dummodo illa agentia relinquuntur naturæ suæ, non efficient effectum vt causæ totales, sed vt partiales tantum.

XXIII.
Variatio
ne secunda
assertionis.

RATIO autem huius conclusionis sic intellectæ non est admodum facilis. Quidam rationem reuocant ad aliud principium, scilicet, quod nulla causa naturalis potest naturaliter efficere aliquem effectum eundem numero quem potest alia. Ex quo principio ita philosophandum est. In primis enim dicendum est, illas duas causas æque applicatas non posse vnum & eundem effectum simul producere, ita vt vtraque illum faciat vt causa totalis, quia hoc ipso quod continetur in virtute vnus, non continetur in virtute alterius. Atque ita fit, vt si aliqua earum sola virtute sua efficit effectum, quem continet, alia nihil efficiat, tamen id solum contingit, quando vna prius tempore applicatur quam alia: tunc enim posterior nihil efficiet, quia iam inuenit capacitatem passimpletam. At vero, quando ambæ simul applicantur, non potest rationaliter dici vnâ efficiere proprium effectum sibi adæquatum, & aliam nihil causare, cum non sit maior ratio de vna quam de alia. Nisi forte quis recurrat ad concursum & voluntatem primæ causæ, & dicat necessarium esse alteram tantum operari, & ideo Deum sua voluntate dare concursum cui vult: & ideo illam operari, & non aliam. Sed hoc licet à prima causa fieri possit, tamen non videtur Philosophicum, nec consentaneum naturis rerum: nam cum vtrumque agens æquè sit potens, & æquè præparatum, seu approximatum ad agendum, vt supponimus, non est magis debitus concursus vni quam alteri.

XXIV.

Dicendum ergo est vtramque simul, vt partiales causas vnum effectum producere. Nam quamuis

non possint simul operari, aut plures effectus solo numero distinctos, quia supponimus subiectam non esse capax eorum, aut vnum & eundem per modum causarum totalium, quia nullus est effectus, qui idem numero in singulorum agentium virtute continetur: non tamen propterea necesse est, vt alterum tantum ex illis agentibus efficiat summi proprium effectum: possunt enim ambo per modum vnus concurrere ad aliquem effectum in illis simul sumptis contentum, quia necessario erit distinctus ab illis effectibus, quos illa agentia sigillatim ac per se possent totaliter producere. Ergo magis consentaneum est rerum naturis, vt Deus præbeat illis agentibus concursum ad agendum hoc modo, quam vt alteri totum præbeat, alteri omnino denegat. Ergo illa agentia simul efficiunt prædicto modo: atque ita semper agent vt causæ partiales, & non vt totales, quia ille effectus ita procedit ab vtraque illa causa, vt à neutra possit prodire: & ita etiam procedet sola vnica actione, quia ita pendet ab vtraque illa causa coniunctim, vt sine alterutra esse non possit.

Hic vero discursus, quamuis ex principio posito recte procedat, tamē ipsum principium mihi est valde incertum: neque existimo posse probari vlla sufficienti ratione, vt in sequenti puncto declarabimus. Et ideo non videtur fundanda certior conclusio in re minus certa: magis autem constans est in Philosophia, non posse plures causas totales coniunctim efficere eundem effectum, quam quod non possint diuisim. Melius ergo fundatur conclusio in hoc, quod vnus numero effectus non potest naturaliter simul fieri, nisi vnica actione: vnica autem actio non potest esse à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, vt supra probatum est: ergo neque vnus effectus potest naturaliter fieri à pluribus causis totalibus. Maior probatur primò, quia vnitas actionis aliquo modo sumitur ex termino: dico autem aliquo modo, quia etiam necessaria est habitudo ad agens: tamen cum necessaria etiam sit vnitas termini, saltem ex eo capite ad vnum terminum vnica actio naturaliter postulat. Secundo, quamuis agentia sint plura, & alias possent sigillatim efficere, tamen etiam possunt coniungi ad agendum per modum vnus: & hic modus agendi est magis consentaneus vnitati termini: ergo naturaliter loquendo ita semper agunt. Tertio denique, cum vterque modus agendi sit possibilis absolute, quamuis ipsa agentia naturalia non possint sese determinare ad alterum illorum, sed per concursum primæ causæ determinanda essent, non esset eis debitus duplex concursus ad agendum duabus actionibus totalibus, quia non est eis necessarius, & natura abhorret superfluitatem: ergo etiam ex definitione concursus primæ causæ non possunt illa secunda agentia naturaliter simul agere vt causæ totales. Quæ ratio magis declarabitur in puncto sequenti: & post eius resolutionem melius respondebitur ad argumenta supra adducta in secunda sententia.

SECTIO V.

Vtrum diuisim possit idem effectus naturaliter esse à pluribus causis totalibus.



Est dicendum, an saltem diuisim possit idem effectus fieri à pluribus causis totalibus, quod est querere, an lumen quod hic & nunc producitur in hoc aere ab hac lucerna in hoc loco applicata, produceretur idem numero ab alia lucerna numero distincta, omnino tamē simili in virtute agendi, si eidem aeri eodem tempore & loco applicata fuisset, & sic de cæteris effectibus. In quare non est controuersia de potentia Dei absoluta: sic enim nullus quem ego viderim, negat posse Deum per vnâ causam naturalem facere eundem numero effectum, quem

quem facit per aliam: quantum hoc etiam declaratione egeat in opinione eorum, qui negant hoc naturaliter fieri posse, & consequenter locuturi sunt, ut infra declarabo.

Prior sententia negans.

Scergo disputatio de naturali virtute causarum: & hoc modo multi negant posse unam causam naturalem efficere eundem numero effectum quem facit alia, etiam si eidem passo cum eisdem conditionibus applicaretur. Quam sententiam significat D. Thom. quodlib. 5. art. 8. & Capreol. in secundum, distinct. 20. quæst. 1. & tenet Maril. 1. de Generat. quæstione 8. & Soto in 4. distinct. 34. quæst. 1. artic. 3. Estque opinio commentatoris in 7. Metaph. commentario 31.

Rationes adducuntur varieg. Prima est, quia quando hic effectus producitur talis in individuo, aliqua proxima causa naturalis reddenda est, cur tale individuum producatur potius quam aliud: hæc autem nulla esse potest, nisi quia ab hac singulari causa talis effectus producitur, non quod illa sola sit ratio adæquata productionis talis effectus in individuo, sed quod sine illa non possit adæquata ratio consistere: hoc enim satis est, ut hic effectus numero non possit, nisi ab hac causa numero produci. Illatio est clara, antecedens vero probari potest discurrendo per omnia, quæ ad productionem huius individui effectus conferre possunt. Quia neque hoc subiectum sufficit, quia indifferens est ad plures formas, neque tempus, locus, &c. tum propter eandem causam, tum quia sunt valde extrinseca, ut latè supra disputat. 5. tractatum est.

Veruntamen hæc ratio in nostra sententia nullam vim habet, nam si sit sermo de intrinseca ratione individuationis effectus, iam supra diximus, in ipsis intrinsecis principiis rei, seu in propria eius entitate positam esse. Si vero sermo est de ratione, ob quam agens, determinatur ad hunc effectum numero, non recte redditur ratio, quia est hoc agens, nam etiam hoc agens, est potens & de se indifferens ad plures effectus numero distinctos producendos. Quod si dicatur hoc particulare agens non esse indifferens ad producendum plures effectus numero distinctos hic & nunc circa hoc subiectum, sed esse determinatum ad unum: adhuc restat inquirenda causa huius determinationis, quæ non reddatur sufficienter ex individuatione causæ, quia illa per se est potens ad plura: neque etiam ex aliis circumstantiis illi adiunctis, ut dicto loco probavi, quia vel sunt etiam indifferentes, & ex multis indifferenteribus non fit unum principium determinationis: vel sunt valde extrinseca, ut extrinsecum tempus, vel locus. Propter quod probabilis sensus huius causam secundam determinari quoad hoc ex concursu primæ: hæc autem determinatio ex parte causæ primæ tam potest fieri cum hac individua causa, quam cum alia simili numero distincta in ordine ad eundem numero effectum, ut paulò inferius ostendam: ergo ex hoc capite non probatur, ad hunc singularem effectum necessariam esse hanc singularem causam secundam. Obicit vero Soto (qui præcipue magnificat hanc primam rationem) quia non est philosophicum reuocare hanc determinationem ad primam causam, eo, quod causa prima de se non concurrat, nisi generali influxu & indifferenti. Verum hoc ab ipso nulla ratione probatur, neque est verum, ut ex supra dictis de concursu Dei constat: estque magis consentaneum perfectioni diuinæ providentiæ, ut Deus sua voluntate decernat, quæ individua ab omnibus causis futura sint.

Secunda ratio reddi solet, quia si hic numero effectus potuisset ab alia causa numero distincta produci, non penderet per se & essentialiter ab hac causa singulari, à qua nunc producitur, & consequenter

talis causa non esset causa per se huius effectus, sed solum per accidens, quia à causa per se, effectus penderet per se & essentialiter. At vero supponebatur, sermone esse de causa per se: ergo ut saluetur ordo per se inter causam & effectum, necesse est dicere effectum singularem, qui fit ab hac numero causa, non posse naturaliter fieri ab alia numero distincta. Prima sequela probatur, quia si loco huius causæ alia numero distincta applicata fuisset, idem numero effectus ab illa fuisset productus: ergo per accidens est, quod hic effectus ab hac causa producatur. Et confirmatur primò, nam omnis effectus determinatus & singularis natura sua postulat determinatam causam per se, à qua fiat, quia ab aliqua per se penderet: ergo non potest naturaliter, nisi ab illa fieri. Et confirmatur secundò, quia hæc actio numero, quæ ab hac causa totali fit, non potest fieri ab alia numero distincta, sed hæc actio numero tendit in hunc effectum numero, & actiones numero distinctæ in effectum numero distinctos: ergo etiam hic effectus, qui ab hac causa fit, non potest fieri ab alia consimili & eiusdem ordinis, & numero distincta.

Sed neque hæc omnia sunt efficacia ad persuadendam opinionem. Et quidem in principali ratione distinguendi sunt illi duo termini *dependere per se*, vel *essentialiter*: non enim sunt æquivalentes, sed magis est *dependere essentialiter*, quam *per se*: ut enim effectus per se pendeat à causa, satis est, quod vere ac proprie ab illa suum esse recipiat, quia recipere esse, & *dependere* ferè idem sunt. At vero *pendere essentialiter*, addit, quod effectus ex intrinseca sua natura & essentia postulet influxum talis causæ, ita ut sine illo esse non possit: quod satis probatur ex significatione illius vocis *essentialis dependentia*. Cum ergo inferatur, si hic numero effectus posset ab alia causa totali eiusdem ordinis produci, sequi non pendere per se & essentialiter ab hac causa, à qua nunc producitur, quoniam consequens duplex est, duplex etiam adhibenda est responsio, & neganda prior pars sequelæ, & concedenda posterior.

Nego igitur sequi effectum non pendere per se, quia penderet à causa proprie & per se influente esse in illum. Nec refert, quod posset fieri ab alia, quia de facto non fit ab alia, sed ab hac sola in ordine causarum: ergo id satis est, ut ab illa pendeat tæquam à causa totali. Cum verò instatur, quia posset applicari alia, & ita per accidens est, quod ab hac fiat: respondetur æquiuocationem esse in illo termino *per accidens*, quia iam non sumitur, ut opponitur causæ per se, sed ut opponitur causæ simpliciter necessaria, vel unica. Concedo igitur respectu effectus, per accidens, id est, contingens, & extra essentialiam, & præter rationem eius esse, quod ab hac causa numero potius quam ab alia fiat. Item ex parte causæ, per accidens dici potest, quod hæc causa potius quam alia applicetur, quia vel non applicatur à se, sed ab alio, vel quia id est accidentarium & contingens respectu illius. Sed hæc omnia sunt remota & extrinseca ad causalitatem per se, quia iam in eo instanti, in quo hæc causa est applicata, verè ac proprie influit esse in hunc effectum: & hoc satis est, ut & illa sit causa per se, & effectus ab illa per se pendeat. Sicut etiam hæc causa hic & nunc applicata huic passo posset non hanc formam, sed aliam numero inducere, & hac ratione dici potest per accidens respectu illius, quod hanc numero potius, quam aliam faciat, quia extrinsecum illi est & accidentarium, quod Deus definiuerit concursum ad hunc effectum potius quam ad alium. Nihilominus tamen iam sic applicata, per se facit hunc effectum: sic ergo effectus etiam hic & nunc per se penderet ab hac causa, à qua proprie fit, etiam si posset ab alia fieri. Rectè autem sequitur, & concedenda est altera pars sequelæ, nimirum, quod talis effectus non pendeat essentialiter à tali causa: estque illud consequens verissimum. Imò, ut constat ex supra dictis de concursu

VI.

Improbatur.

VII.

primæ

primæ causæ, nullus effectus pendet essentialiter à causa vniuoca, imo nullus effectus creatus quatenus est ab efficiente causa, pendet essentialiter à causa creata, sed à solo Deo, quia ab ipso solo fieri potest sine quocunque alio, ab alijs autem fieri non potest sine ipso.

VII.

Quod si dicatur hoc esse verum sumpta illa voce *essentialiter* in rigorosa significatione: hic autem non ita sumi, sed vt idem est quod connaturaliter: atque hoc modo pendere posse creatum effectum à causa creata, & vniuocum ab vniuoca: sicque vnum effectum tantum habere vnam causam, à qua connaturaliter pendeat. Respondeo, verum quidem esse, actualiter solum pendere vnum effectum ab vna causa totali vnius ordinis, connaturaliter dependentia: nego tamen vnum numero effectum solum posse dependere ab vna numero causa, quia si ab alia simili fieret, tam connaturaliter ab illa penderet, sicut ab altera.

IX.

Vnde ad primam confirmationem absolute nego antecedens, quia hic numero effectus, si eius indiuidua natura, & entitas absolute consideretur, non determinat, nec postulat necessario (necessitate scilicet connaturali & intrinseca) vt ab hac numero causa fiat, & non ab alia: vel saltem hoc nulla ratione ibi probatur, quia hæc res natura sua solum postulat, quod fiat ab aliquo habente sufficientem virtutem ad illam faciendam. Quod si plura agentia habuerint illam virtutem, nihil refert ad naturam talis effectus: neque quidquam impedit, quod minus per se fiat à quocunque quod applicari contigerit, vt declaratum est.

X.

Ad secundam confirmationem concedo hanc numero actionem tantum posse esse ab hoc agente, & ad hunc terminum. Nego tamen distinctas numero actiones necessario terminari ad effectus numero distinctos: id enim necessarium non esse sæpe in superioribus probatum est: alijs nec de potentia absoluta posset effectus, qui ab vno agente fit, fieri ab alio numero distincto, etiam diuisim, quia actio vnius non potest ab alio fieri. Quod si dicatur, actiones distinctas numero, necessitate quidem naturali tendere in effectus numero distinctos, non tamen necessitate absoluta, & in ordine ad diuinam potentiam. Contra hoc est, quia illa necessitas naturalis nulla ratione probata est. Quando enim plura agentia simul concurrunt, est aliqua necessitas, vel saltem naturalis congruentia, vt vna potius quam duabus actionibus agant ad eundem effectum. Quod vero diuersa agentia totalia quoad virtutem agendi, non possint habere tuas proprias actiones distinctas circa aliquem effectum, vt vnumquodque possit per se illum efficere, saltem quando solum & sine altero applicatur, nulla ratione hætenus ostensum est. Non est ergo, cur sit necessarium naturali necessitate, vt vnus effectus vna tantum actione indiuidua, & particulari naturaliter fieri possit etiam diuisim.

Secunda sententia precedenti contraria.

XI.

Quia igitur hætenus efficaciores rationes inuentæ non sunt ad eam sententiam confirmandam, alijs auctoribus probata non est, sed aiunt eundem effectum numero posse diuisim fieri à diuersis causis totalibus: & nunc quidem fieri hoc lumen in hoc aere ab hac lucerna, quia hæc applicata est, idem tamen nihilominus fuisse futurum, si alia lucerna applicata fuisset. Hanc opinionem tenet Scotus in secundum, distinctione vigesima, questione secunda, quæ ab eodem probatur argumento Philosophico & Theologico. Theologicum argumentum est, quia Deus ante præuisum originale peccatum elegit ad gloriam hos singulares homines, quos prædestinavit, ex quibus multi nunc generantur ab hominibus

Fundamentum.

reprobis: si autem Adam non peccasset, generarentur ab alijs hominibus numero distinctis, quia tunc nulli essent reprobi, à quibus generarentur. Sed argumentum hoc multa inculcat, quæ præmittenda nobis sunt, ne Metaphysicos terminos transgrediamur. Re tamen vera ratio non est efficax: & præter multa, quæ supponit incerta, illud apud me certum est, Deum elegisse prædestinatos cum præsentia saltem conditionata lapsus humani generis, quæ satis est, vt simul velle potuerit hos prædestinatos ab his numero parentibus generari. Quod si Deus præuidisset, etiam in conditionali scientia, Adam non fuisset peccaturum, vel non habuisset decretum eligendi hos homines, quos nunc elegit, vel simul cum illis elegisset parentes eorum, quos nunc elegit, vel certe permisisset etiam tunc aliquos esse reprobos. Non enim est verum, aut saltem certum, quod si Adam non peccasset, nulli alij homines peccassent, aut damnarentur. Itaque (vt hæc omittamus) certum est propter certitudinem prædestinationis non esse necessarium dicere vnum hominem posse naturaliter generari ab alijs parentibus, quam ab illis, à quibus de facto generatur.

Ratio Physica est, quia duo agentia eiusdem speciei sunt æqualis virtutis: ergo quidquid potest vni efficere ex tali materia hic & nunc sibi applicata, potest fieri aliud, alijs non essent æqualis virtutis: ergo effectus, qui ab vno fit, posset idem numero fieri ab alio. Verum neque hæc ratio conueniens est: nam ex æqualitate virtutis solum potest colligi æqualitas effectus, non vero identitas: nam sicut in ipsa virtute aliud est esse æquale, aliud esse eandem, ita etiam in effectu. Respondetur ergo facile, æqualem virtutem posse ex eadem materia æqualem effectum efficere, non tamen eundem. Aliæ item rationes fieri solent in fauorem huius sententiæ, quæ leuioribus mihi videntur, & ideo eas omitto.

Punctus difficultatis aperitur.

VT ergo punctus controverſiæ attingatur, in hoc inſtitendum est, vt videamus, an effectus contentus sub obiecto vnius potentie actiue possit contineri sub obiecto alterius, & an hoc possit certa ratione in alteram partem definiti. In quo est notanda differentia inter causam particularem & vniuocam, & æquiouocam ac vniuersalem, quod vniuersalis, quia non formaliter, sed eminenter continet effectum potest per se respicere totam speciem, & omnia indiuidua sub illa contenta. Et hinc certum esse censet, eundem numero effectum, qui fit à causa particulari & vniuoca, posse fieri connaturali modo à causa æquiouoca vt à causa totali & proxima, si absque interuentu causæ vniuocæ sola causa æquiouoca, & de se vniuersalis applicetur ad generandum talem effectum immediate, & se sola. Hoc est certissimum in causa vniuersalissima & eminentissima, quæ est Deus, nam hæc ratione potest quemcunque effectum sua virtute facere, quem causæ secundæ possunt. Idem censeo de virtutibus cœlestibus quoad eius effectus, quos vere continent eminenter, & vt causæ per se sufficientes. Vt, verbi gratia, si Sol est causa sufficiens ad generandum aurum vel ignem, quantum est ex se, sufficiens est ad quodlibet indiuiduum auri, vel ignis, quia eius virtus, vt pote eminentior, respicit ad æquatè totam illam speciem: & ideo quantum ex se potest in quolibet indiuiduo illam efficere.

Quoad has ergo causas nulla ratio apparet, cur negandum sit, quin effectus productus ab igne, verbi gratia, in hoc ligno, possit produci idem numero à Sole, si eidem passo, & cum cæteris circumstantijs sufficienter applicaretur. In quo proprie non committimus paramus causam particularem ad vniuersalem, quæ tamen tenus vniuersalis causa dicitur, quæ cum alia particulari

culari operatur, sed comparamus duas causas particu-
lares, & proximas operantes per diuersas virtutes,
formalem sc. vel eminentem. Ex quo etiam obiter
intelligitur, esse longe diuersam rationem de causis
totalib. coniunctim vel diuisim operantibus, nam
huiusmodi duę causę totales quę operantur vt causę
particulares & proximę non possunt coniunctim & si-
mul efficere eundem numero effectum suis propriis
& distinctis actionib. totalibus, etiam si vna sit æqui-
uoca, altera vniuoca: nam ratio & resolutio facta in
superiori puncto æque in his pcedunt: diuisim autē
optime potest idem effectus procedere ab alterutra
istarum causarum, vt dictum, & declaratum est.

At vero causa vniuoca non potest habere pro ob-
iecto adæquato suę potentię actiue totam speciem
talis effectus, vt D. Tho. notauit i. p. qu. 45. articulo 5.
ad primum, quia alias talis causa se ipsam concluder-
et sub obiecto potentię suę naturalis, quod est im-
possibile: alioqui posset producere seipsam. Neque
etiam facis est, si quis respondeat, quantum est ex par-
te potentię posse producere se ipsam, tamen ex alia
parte repugnare vt illa potentia reducat in actum
respectu sui ipsius, quia ad agendum, necessario sup-
ponitur causa ipsa iam producta. Hoc (inquam) non
satis facit, quia efficiētia ex intrinseca sua natura re-
spicit rem distinctam: ergo & potentia efficiēdi natura
sua non habet pro obiecto nisi rem a se distin-
ctam: ergo nullo modo continet se ipsam sub obie-
cto suo adæquato: & ideo non potest causa vniuoca
respicere speciem suam vt obiectum adæquatū po-
tentię suę. Quę ratio non procedit in causa æqui-
uoca, nam licet hæc respiciat adæquatē totam aliquā
speciem, non reflectitur in se ipsam, quia ipsa non est
indiuuū illius speciei, sed altioris ordinis. Hinc
ergo suboritur dubium, quam late pateat obiectum
potentię actiue vniuocę: nam cum non sit tota spe-
cies, nec sit vnum indiuuū tantum illius speciei,
vt per se constat, oportet vt sint plura indiuuū illius
speciei: quot igitur illa erunt? aut quę est seruāda
regula in assignando obiecto adæquato talis po-
tentię? In quo omnes conueniunt, non posse desi-
gnari finitum numerum indiuuū, quia poten-
tia actiua quantum est de se, si non corrumpatur aut
labefactetur, semper potest aliud & aliud indiuuū
producere. Vnde dici potest de se esse indifferen-
tem ad infinita indiuuū synecategorematicę suc-
cessiue seu distinctim. Tamen hæc ipsa infinita mul-
tudo potest variis modis intelligi: duo tamen sunt
pæcipui, qui ad rem præsentem spectant.

Varij modi assignandi obiectum adæquatum vir-
tutis actiue agentis vniuoci.

Nus est, si dicamus talem causam posse efficere
quodlibet indiuuū suę speciei extra se ipsā.
Potestque non improbabilis ratio reddi, nam circa
se non potest habere efficiētiā propter identita-
tem: quod si hoc impedimentum tolleretur, nul-
lum esset inconueniens, quin talis potentia haberet
pro obiecto adæquato totam illam speciem: ergo,
cum hæc ratio cesseret circa omnia alia indiuuū
eiusdem speciei, quia omnia alia sunt distincta ab hoc
numero agente, verisimile est quodlibet indiuuū
talis speciei concludere sub obiecto adæquato suę
potentię actiue omnia indiuuū eiusdem speciei a-
lia a se. Quod si hic modus verus est, euidenter sequi-
tur, posse duas causas totales eiusdē speciei diuisim
efficere eundem effectum numero. Imo potius se-
quitur, nullum effectum posse fieri ab vna, qui non
possit fieri ab alia, seipsis reciproce exceptis, nam quę-
libet potest efficere aliam, non tamen se. Vnde vlti-
mus etiam sequitur, quamlibet causam vniuocam,
quantum est ex parte potentię suę, habere vim ad
efficiendum illud indiuuū, a quo ipsa genita
Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

fuit, vt Petrum verbi gratia habere potentiam ad
generandum suum parentem vel etiam auum, &
quemcunque progenitorem suum, quantum est ex
vi potentię actiue: quod videri potest maximum
inconueniens omnium, qui in hoc modo dicendi
excogitari possunt. Neque negari potest quin sequatur,
nam omnia illa indiuuū comprehenduntur
sub obiecto adæquato talis potentię, vt supponitur:
ergo quantum est ex vi potentię actiue, ac per se lo-
quendo, posset quodlibet illorum producere. Ne-
gari tamen facile potest hoc esse inconueniens. De
facto enim non potest hæc res numero, illa indiu-
dua efficere, a quibus ipse processit, & facta est, quia
illa indiuuū antecesserunt in esse, & fuerunt pro-
ducta ab aliis causis: tamen si considerarentur secū-
dum se, & nulla conditio repugnans præsuppone-
retur, nihil obstaret quominus illa indiuuū, quę
nunc sunt causę aliorum, essent effectus illorum, &
è conuerso.

Alius modus explicandi obiectum adæquatum
huius potentię est, si dicamus singulas virtutes acti-
uas singulorum agentiuū determinare sibi certa que-
dam indiuuū suę speciei, quę tātum efficere pos-
sunt, & è conuerso totam illam seriem indiuuū
determinare sibi ex natura sua talem causam vniuocam
a qua fieri possint, & non alia intra illam spe-
ciem. Quę indiuuū series in infinitum qui-
dem procedit, nihilominus tamen solum continet
peculiarem ordinem aut gregem (vt sic dicam) in-
diuū dicentium ex se habitudinem ad talem
causam: qui ordines indiuuū in infinitum in-
tra eandem speciem multiplicari possunt, nam intra
vnam speciem non solum possunt esse infinita indi-
uū, sed etiam infinities infinita, & infinita indi-
uū series, quę omnes distincta indiuuū
contineant, & in singulis in infinitum procedatur.
Et iuxta hunc modum apertè sequitur, nō posse ef-
fectum singularem, qui ab vna causa vniuoca sit, fie-
ri ab alia, quia indiuuū contenta sub obiecto v-
nius potentię non continentur sub obiecto alte-
rius.

Non video autem rationem sufficientem, quę
reddi possit ex parte talium causarum, cur ita deter-
minent obiecta sua, vt vnaquęque tendat ad pro-
priam collectionem distinctorum indiuuū,
sed solum affirmari potest ratione suę indiuuūatio-
nis ita esse vnamquamque determinatam in agendo
Sicut intellectus Petri, verbi gratia, natura sua est de-
terminatus ad efficiendos tales actus intelligendi
numero, quos nullus alius intellectus numero di-
stinctus potest efficere: & idem est de singulis intel-
lectibus: ad hunc enim modum philosophatur illa
sententia prædicto modo exposita. Tamen re vera
non est eadem ratio de potentiis, quę actus imma-
nentes eliciunt, & de iis quę efficiunt in exteriorem
materiam, nam in prioribus potentiis vnaquęque
determinatur ad efficiendum tantum in se & ex se.
nam hoc est de intrinseca ratione actus immanentis:
& quia in diuersis subiectis diuersi actus numero
distincti reperiuntur, ideo vnaquęque harum po-
tentiarum determinatur natura sua ad actus distin-
ctos ab actibus alterius. At vero potentia quę agit in
externam materiam, non determinat sibi certum
subiectum in quod agat: & ideo agentia numero di-
stincta possunt agere in idem passum numero, vel in
diuersis temporibus, vel in eodem, vel coniunctim
vt causę partiales, vel diuisim vt totales: & ideo non
est in eis eadem ratio, ob quam determinentur ad
formas numero distinctas efficiendas, etiam respec-
tu eiusdem passu.

Quocirca ex parte causę nulla probabilis causā
occurrit huius determinationis: nam certè indiu-
uū sola ipsius causę non est sufficiens ratio vt
determinetur ad hæc indiuuū efficienda potius
quam alia: nec etiam vt causę numero distinctę de
Ddd termi-

XVII.
Secundus
modus.

Qua diffi-
cultates e-
no: uent hęc
modum re-
soluendi
questionem.

XVIII.

XV.

XVI.

XVII.

terminentur ad indiuidua numero distincta. Alias eadem facilitate dicere quis posset indiuiduam causam ex vi suae indiuiduationis determinari ad vnum tantum indiuiduum efficiendum, praesertim ex eodem subiecto, sicut causa vniuoeca vnus speciei determinatur ad effectum vnus tantum speciei faciendum. Ex parte vero effectus reddi potest ratio supra tacta, quia vnus effectus natura sua postulat vnā determinatam causam à qua fiat, quia cum effectus naturalem habeat dependentiam à causa, effectus singularis etiam habet naturalem dependentiam à causa singulari: & ideo etiam ipsa potentia non claudit sub obiecto suo, nisi illos effectus, qui ab illa possunt naturaliter dependere.

XIX.

Prima difficultatis.

Veruntamen hoc etiam principium, quod de effectu sumitur, non video qua sufficenti ratione probari possit: & aliunde occurrunt vehementes coniecturae, ob quas non videatur admittendum. Primum quia dependentia effectus à causa vniuoeca est illi accidentaliter, cum sit tantum in fieri, & sit separabilis ab ipsa re: nulla est autem ratio, ob quam haec res indiuidua determinet natura sua tale accidens: sicut ergo idem subiectum est indifferens ad plures calores numero distinctos, & naturaliter recipit illum, quē potest efficere agens primo occurrens, ita idem effectus indifferens est ad dependentias sibi accidentarias, quanquam dum sit, naturaliter ac per se fiat per dependentiam, quae esse potest ab eo agente, quod tunc applicatur.

XX.

Summa.

Secundò declaratur hoc amplius, quia si consideretur entitas ipsius effectus, illa est absoluta, id est, in se non includens respectum, etiam transcendentalē, ad aliquod agens vniuoecum, quia cum non pendeat ab illo essentialiter & in suo esse, non est vnde includat in se talem respectum: ergo talis effectus ex vi suae entitatis non postulat dependentiam ab hac numero causa vt magis connaturalem sibi, quam ab alia.

XXI.

Tertia.

Tertiò idem effectus numero, qui est à causa vniuoeca, potest per se, & connaturaliter fieri à causa aequiuoeca non solum prima, sed etiam secunda & creata, si eminenter contineat talem inferiorem speciem, vt paulò antea diximus & probauimus: ergo comparatione facta inter illas duas causas, vniuoecam & aequiuoecam, ille effectus singularis non magis determinat sibi ex natura sua emanationem ab vna, quam ab alia: nam aequè differenter potest à qualibet earum fieri, quae primum fuerit sufficienter applicata: ergo comparatione facta inter causas vniuoecas non est, cur ille effectus determinet sibi ex natura sua emanationem ab vna earum tantum, sed poterit indifferenter à multis, vel à qualibet simili produci. Patet consequentia, tum quia, si connaturale esset omni effectui determinare sibi vnam tantum causam, deberet determinare simpliciter vnam, vel vniuoecam, vel aequiuoecam, saltem inter creatas. Tum etiam, quia ratio, quae videtur mouisse alios auctores, vt dicerent, vnum effectum singularem habere naturalem dependentiam ab vna causa singulari, scilicet, vt per se & non per accidens videatur ab illo produci: haec (inquam) ratio aequè applicari potest ad causam vniuoecam & aequiuoecam, quia etiam dici poterit per accidens ab altera earum produci, cum aequè bene possit ab alia fieri, si applicata fuisset: quod, si hoc non impedit causalitatem per se eius causae, quae de facto applicatur, siue vniuoeca illa fuerit, siue aequiuoeca, non impedit etiam in causis vniuoecis, siue haec numero applicetur, siue alia. Quod si quis dicat, esse disparē rationem in causa aequiuoeca, quoniam illa eminenter continet totam speciem, & consequenter omnia indiuidua eius. Respondetur id non referre ad praesentem rationem, in qua consideramus determinationem, aut indifferentiam ex parte effectus, non ex parte causae. Si autem effectus natura sua esset determinatus ad dependendum ab vna tantum causa singulari, non posset

virtute contineri in pluribus causis; quod si ex parte effectus non est haec determinatio, ergo nec ex parte eius repugnat contineri in multis causis, & posse à singulis dependere, ergo non est cur hoc magis verum sit respectu causae vniuoecae & aequiuoecae, quam respectu causarum vniuoecarum. Maxime, si tam prima comparatio, quam secunda fiat ad causas creatas; nam licet causa vniuoeca non contineat totam speciem sicut aequiuoeca, potest tamen virtute continere quolibet indiuidua sibi similia, & se distincta.

Quarto possumus similem rationem sumere ex eo, quod vnus numero effectus potest diuisim dependere à duabus causis totalibus aequiuocis, etiam creatis, vel specie, vel numero distinctis: nam quolibet earum continet eminenter totam speciem inferioris effectus: vnde quantum est ex se, potens est ad efficiendum quodlibet indiuiduum illius speciei, & consequenter omne indiuiduum, quod potest fieri ab vna illarum causarum, potest fieri ab alia: ergo idem potest esse in causis vniuoecis. Patet consequentia ex supra dictis, quia illud est sufficiens indicium, ex parte effectus non repugnare quin naturaliter pendere possit ab hac vel illa causa: nec potest assignari ratio, cur ex parte eius magis repugnet in ordine ad causas vniuoecas, quam ad aequiuoecas. Quid si ex parte effectus non est repugnantiā, re vera ex parte causarum nulla potest assignari.

Atque hoc modò habet vim alia ratio, quae hic fieri potest, quod idem effectus numero sit ab vna causa, & conseruatur ab alia: hoc enim non habet locum in causa vniuoeca, nam effectus eius non pendeat ab illa in conseruari per se loquendo: nam cum dicitur ignis conseruari in ligno calorem, quem produxit, non intelligitur de conseruatione directe, & per se, sed per accidens, defendendo à contrariis, & ideo mirum non est, quod talis conseruatio, vel potius defensio possit à quolibet agente similis virtutis fieri. In causis vero aequiuocis videtur certum, effectum ab vna productum posse conseruari ab alia, vt lumen huius aeris factum ab hac lucerna, conseruatur ab alia sufficienter applicata, etiam si haec statim extinguitur. Neque enim verisimile est fieri subitam, & insensibilem mutationem luminis. Ergo eadem ratione potuisset vna lucerna efficere à principio idem lumen, quod alia fecit, si applicata fuisset: tum quia huiusmodi conseruatio est vera efficientia, & ex se & natura sua posset esse productio: tum etiam, quia nisi hoc lumen contineretur sub obiecto alterius lucernae, non posset ab alia naturaliter conseruari: si vero contineretur, potest etiam fieri.

Ex causis vero vniuoecis potest aliquale argumentum ex eo sumi, quod vna potest intendere eandem numero qualitatem, quam alia inchoauit: ergo etiam potest illam inchoare, seu efficere: mirum est enim dicere, vnam & eandem qualitatem secundum diuersos gradus determinare sibi diuersa agentia naturalia alioqui inter se omnino similia. Tandem non videtur verisimile non posse vnum angelum efficere in eodem corpore eundem numero localem motum, vel idem vbi inrinfecum, quod alius efficeret, si eodem tempore illud mouisset. Et ideo in hoc exemplo etiam auctores contrariae sententiae admittunt eundem numero effectum posse fieri à diuersis causis totalibus distinctim, sed negat inde sumisufficiens argumentum ad alios effectus. quia per motum localem non fit in mobili noua entitas absoluta. Sed haec responsio non satisfacit, tum quia licet per motum localem nō fiat noua res absoluta distincta à mobili, fit tamen modus realis absolutus, & ex natura rei distinctus à mobili: ex quo non leue argumentum sumitur ad effectum, qui fit forma distincta. Tum maxime, quia etiam respectu localis motus & vbi, intercedit vera causalitas efficiens, & dependentia

dentia per se huius effectus ab hac causa: ergo si hoc non obstat, quominus talis effectus possit fieri ab alia causa numero distincta, non etiam obstat in effectibus, qui sunt res, vel formæ distinctæ. Verum est, hoc exemplum etiam procedere de causis æquiuocis, quia in motione locali semper motor est causa æquiuoca: tamen iam ostendimus ex causis æquiuocis sumi argumentum sufficiens ad vniocitas.

Totius questionis resolutio affirmatiua.

XXII. Pensatis ergo vtriusque partis rationibus, quamuis neutra omnino cogant aut demonstrent, tamen hæc posteriores maiorem verisimilitudinem præse ferunt. Quapropter in genere loquendo dicendum censo, non repugnare eundem numero effectum dependere à pluribus causis proximis, & totalibus distinctum, seu è conuerso (& in idem redit) plures causas posse habere virtutem, vt singulæ possint per se efficere eundem numero effectum: quod est certum, si vtraque vel altera sit causa æquiuoca: tamen etiam est probabilius in causis vniocis. Oportet tamen nonnulla obseruare. Primum, supponendum esse effectum, vel esse æqualem, vel inferiorem causa: quod ideo aduerto, quia si vera esset sententia, quæ affirmat indiuidua eiusdem speciei posse esse in æqualia in perfectione, non oporteret, vt qualibet causa indiuidua in aliqua specie, posset efficere omnia alia indiuidua eiusdem speciei propria virtute, sed solum ea, quæ sibi essent proportionata, vel æqualia. Deinde oportet loqui de effectibus omnino similibus in indiuiduo, vt sunt duo calores eiusdem subiecti: nam si effectus, quamuis sint eiusdem speciei, non sint omnino similes, sed (vt ita dicam) aliquo modo heterogenei, indiuidualiter fieri potest, vt ob peculiarem conditionem, quam singula indiuidua habent, vnicam tantum causam naturalem vnius ordinis sibi determinent, quod non solum in causis vniocis, sed etiam in æquiuocis accidere potest. Vt, v. g. species visibiles Petri & Pauli eiusdem speciei sunt (suppono enim vtrumque esse album) & nihilominus nec Petrus potest efficere speciem Pauli, nec Paulus Petri, quia illæ species licet sint similes in natura specifica, tamen ex indiuiduatione sua habent proprias habitudines ad distincta obiecta, & in eo voco illas species dissimiles, & quasi heterogeneas indiuidualiter, & obiecta illa, licet sint suo modo causæ æquiuocæ talium specierum, tamen non habent virtutem eminentem ad totam speciem, sed vnumquodque ad illas species tantum, quæ ipsam representant. Simile quid conspicerè licet in actibus immanentibus, vt supra dicebamus: & idem est de habitibus. Itaque vbi peculiaris ratio, seu determinatio interuenit, accidere potest, vt causa sit determinata ad aliqua indiuidua vnius speciei, & non possit ad omnia: & inde etiam prouenire potest vt effectus, qui ab vna causa fit, non possit fieri ab alia numero distincta: absolute tamen illud non repugnat naturis rerum.

XXVI. Vltimo est obseruandum hæcenus nos solum explicuisse, quid possit fieri ex vi causarum particularium, non verò quid fiat: id enim multo magis incertum nobis est, ita vt non possit aliqua ratione definirì. Nam licet duæ causæ particulares habeant virtutem ad eundem numero effectum efficiendum, tamen actualis determinatio huiusmodi causæ, vt hoc indiuiduum faciat potius quam aliud, à prima causa pendet vt à primaria origine talis determinationis: & ideo, quamuis hæc causa nunc applicata, hunc singularem effectum efficiat, ad quem à prima causa determinatur, an vero, si alia similis vice illius eodem tempore, & loco, & circa idem subiectum applicata fuisset, eundem numero effectum fecisset, non nobis constat. Non quia non sit in illa potentia, quod hæcenus egimus, sed quia illa potentia etiam

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

est indifferens ad plura indiuidua, & nescimus, an in eo casu determinaretur à prima causa ad idem indiuiduum numero faciendum: solum ergo affirmamus posse ita determinari: actualement vero determinationem ex concursu & voluntate primæ causæ dependere.

Satisfis argumentis secunda sententia, ex præcedenti sectione relicta.

XXVII. EX his etiam respondendum est ad eam interrogationem, quæ fiebat in fundamentis secundæ opinionis principalis in principio præcedentis sectionis adductis, nimirum, quid agerent duæ causæ totales in virtute, seu in actu primo, si eidem passo simul & æquè applicarentur, & iuxta naturam suam agere relinquerentur. Distinguendum est enim, nam vel illæ duæ causæ applicarentur simul & in eodem instanti, vel vna prius tempore quam alia. Rursus, vel passum est capax plurium effectuum numero distinctorum, vel vnius tantum. Deinde, si effectus sit vnus, potest esse indiuisibilis, vt est forma substantialis, vel habens latitudinem dimensionum: item potest dependere à causa tantum in fieri, vel etiam in conseruari. Primum ergo, si causæ simul applicentur, & passum sit capax plurium effectuum, efficiant illos, & vnaquæque suum, & sic cessat omnis controuersia: hoc enim modo duo obiecta alba, æquè applicata, duas species intentionales efficiunt. Nam in hoc exemplo illæ duæ causæ nec sunt, nec esse possunt causæ totales eiusdem numero effectus, quia neutrum obiectum potest facere speciem alterius. Vnde non existimo posse inueniri exemplum, in quo vtraque causa possit esse totalis respectu vtriusque effectus, & tamen quod passum possit simul vtrumque recipere, quia duæ formæ vel accidentia solo numero distincta, & omnino similia non possunt simul esse in eodem subiecto. Si tamen id admittatur iuxta opinionem ponentem plura lumina in eodem aere, etiam dici posset tunc illas causas operaturas vt causas totales, non tamen ambas eundem effectum, sed vnamquamque suam. Quamquam & hoc etiam incertum esset, pendet enim ex determinatione primæ causæ, quæ posset dare concursum, vel ad diuersos numero effectus, vel tantum ad vnum & eundem: tamen, cum illæ causæ ex illa hypothese sint, tunc aptæ ad operandum vt causæ totales, verisimile est recepturas naturalem concursum ad sic operandum, & consequenter effecturas diuersos numero effectus.

XXVIII. Supponendo autem subiectum nõ esse capax, nisi vnius formæ, tunc causæ illæ simul applicatæ eundem effectum simul efficiant, non tamen vt causæ totales, sed vt partiales: non quia ille effectus idem numero, non possit fieri à singulis illarum causarum, nec ab altera earum sola, sed ab vtraque simul partialiter: incredibile est enim aliquem effectum naturalem determinare sibi natura sua hunc modum dependentiæ à multis causis simul, quibus per accidens est sic coniungi ad operandum. Ratio ergo solum est, quia ille modus agendi est tunc magis consentaneus naturis rerum, vt supra declaratum est. Quod si effectus sit indiuisibilis, non poterit esse perfectior propter coniunctionem duarum causarum: si autem sit capax maioris vel minoris intensiois, interdum erit intensior, quando scilicet neutra illarum causarum per se sola poruisset operari secundum totam aptitudinem intensiois vel actiuitatis suæ, vel propter distantiam, vel ob resistentiam passu, vel ob peculiarem proprietatem suæ naturæ: quomodo experimur duas lucernas inter se æquales simul efficere intensius lumen in aere, quam singulæ per se possent efficere.

XXIX. At vero, si vna talium causarum prius tempore applicetur, quam alia, ea statim efficiet totum effectum.

atum, quem eo tempore vel instante efficere potest: & tunc magis incertum est quid efficiat altera causa superueniens. Et quidem, si effectus non pendeat in conservari, sed in fieri tantum, & sit indivisibilis, vel iam totus productus, clarum est posteriorem causam nihil posse efficere, quia iam inuenit factum, & quia iam altera causa nihil facit, sed fecit. Quod si effectus pendeat in conservari, dicunt aliqui periturum effectum, qui à priori causa factus fuerat, & novum ab illis duabus simul fore producendum, & in futurum conservandum. Sed id incredibile est, quia nulla est ibi causa, cur corrumpatur prior effectus, neque etiam est naturæ consentaneum, ut Deus suspendat concursum, quo conservat illum, nulla superueniente causa corruptente.

XXX.

Alij probabilius dicunt ab eo instante, in quo posterior causa est applicata, incipere illum effectum conservari à duabus causis simul, qui prius ab una tantum conservabatur, quia non debet esse otiosa, cum ad hoc possit operari. Sed hoc etiam difficultatem habet, quia vel ille effectus incipit conservari à posteriori causa per novam actionem, quæ ab illa sola manet, perseverante etiam priori causa in sua actione: & sic sequitur conservari illum effectum ab illis duabus causis simul vel causis totalibus, quod non admittimus. Vel prior causa desistit à sua propria actione, & incipiunt ambæ causæ habere novam actionem communem, qua conservant eundem effectum: & hoc etiam est difficile, quia nihil est, quod cogat priorem causam, ut remittat suum influxum, vel ut desistat à priori actione. Neque id potest reduci ad determinationem primæ causæ variantis concursum suum, & determinationem actionis causæ secundæ, quia non est debitum superuenienti causæ, quod mutetur actio vel concursus, ut ipsa possit aliquid agere. Quare probabile est in eo casu posteriorem causam nihil effecturam, quia inuenit factum quidquid posset facere.

XXXI.

At vero, si effectus ille esset intensibilis, & non esset productus secundum totam latitudinem talium causarum, tunc posterior causa efficeret intentionem eius. Duobus autem modis id intelligi posset, primo, ut prima causa præcisè perseveraret in priori actione, posterior vero adderet tot gradus qualitatis: & tunc utraq; esset causa totalis alicuius partis (ut ita dicam) seu aliquorum graduum illius effectus: esset autem utraq; causa partialis respectu totius effectus, partialitate, ut aiunt, non tantum ex parte causæ, sed etiam ex parte effectus. In quo dicendi modo solum est difficile cum agentia illa sint similia & æqualia, ut supponimus, cur illa maior intensio fiat à solo posteriori agente, cum illa actio maioris intensiois, perfectior aliquo modo videatur. Neque enim dici potest priorem causam & conservare totam actionem, quam prius efficiebat, & iuvare superuenientem causam ad intensioem talis effectus: quia per priorem actionem agebat quantum poterat: ergo non potest aliquid ultra agere, nisi aliquid de priori actione remittat. Et ideo probabile est in eo casu cessare priorē causam ab actione, quam totaliter exercebat, & coniungi posteriori, ut ambæ simul & conservent effectum, & intensiorem eum reddant. Atque hæc tenus de causis efficientibus.

Brevis resolutio de concursu plurimum causarum finalium.

XXXII.

Ultimò facile ex dictis constat, quid dicendum sit de finalibus causis: in eis enim multo facilius est resolutio. Nam si sit sermo de fine intrinseco, ille non potest esse, nisi vnus respectu vnus actionis, quia & vna actio non potest habere, nisi vnum terminum totalem: & natura intrinseca & ex se semper tendit ad vnum. At vero, si sit sermo de fine extrinseco, quem liberum operans suo arbitrio intendit, aut ille

est proximus tantum seu particularis, aut est finis simpliciter ultimus & vniversalis. Quando est prioris modi, nihil repugnat dari plures causas finales & totales eiusdem actionis, ut experientia constat: nam potest quis facere elemosinam, tum ut satisfaciatur pro peccatis, tum etiam ut Deum honoret, & ut proximo subueniat, ita hæc omnia intendendo, ut propter singula habeat absolutam voluntatem faciendi illud opus. Et ratio est, quia quando finis est ita extrinsecus respectu actionis vel effectus, non addit illi intrinsecam entitatem aut modum realem, sed solum subordinationem ad extrinsecam intentionem, seu voluntatem agentis, & ideo nullam est inconueniens, quod hoc modo procedat eadem actio à multis finibus totalibus. Verum est, quod, si illi fines comparantur non ad actionem externam, sed ad internam actum voluntatis creatæ, sic non poterunt duo fines eiusdem rationis, id est, & quæ proximi, esse cause totales eiusdem omnino actus, quia respectu actus interioris habent rationem obiecti, si sint fines proximi: non potest autem vnus & idem actus internus tendere in plura obiecta totalia. Et ratio est, quia respectu interiorum actuum tales fines non sunt extrinseci, sed intrinseci, cum sint eorum propria, ac formalia obiecta: nos autem locuti sumus de finibus extrinsecis: de qua re videri possunt, quæ scriptimus in 1. tom. 3. par. disp. 5. sect. 3. At verò, si fines sint ultimi simpliciter respectu operantis, non possunt esse plures totales respectu eiusdem, etiam ex intentione ipsius operantis, quia de ratione finis sic ultimi est, ut omnia referantur in ipsum, & ideo repugnat multiplicari, de qua re multa disputantur à Theologis in 1. 2. q. 1. artic. 5.

SECTIO VI.

Verum eadem possit esse causa plurimum effectuum, præsertim contrariorum.



Comparauimus plures causas ad vnum effectum, nunc è conuerso comparauimus vnã causam ad plures effectus. Et quia in effectibus contrariis peculiaris est difficultas, de illis potissimum dicemus: & maximè, quia Aristoteles tractando de causis peculiarẽ de hac re mentionem fecit, dicens posse idẽ esse causam contrariorum. Potest autem quæ actio tractari de pluribus effectibus, vel simul, vel successiue. Et quia in causa materiali, formali, & finali res est facilis, de eis prius dicemus, postea deficiente. Quanquam quod ad contrarios effectus pertinet, de omnibus possumus sine disputatione sumere, non posse vnã causam simul causare effectus contrarios, quia includunt repugnantiam, si sumantur respectu eiusdem, ut sumi debent: nam, si sumantur respectu diuersorum, iam non sumuntur ut contraria. Quamuis enim Sol eodem tempore exsiccet lutum, & liquefaciat ceram, non faciet propriè effectus contrarios.

Expeditur questio in formali causa.

His autem suppositis, de causa formali dicendum est, non posse vnã causam, nisi vnum effectum causare: vnde à fortiori sic nunquam posse conferre effectus contrarios. Probat, quia in primis hæc causa non causat, nisi præbendo se ipsam effectum: ipsa autem tantum est vna entitas: ergo ex hac parte semper id, quod causat, & quod præbet effectum, est vnum & idem. Rursus causa formalis causare effectum dando illi complementum in suo esse: ergo etiam ex hac parte vna formalis causa semper causat vnum tantum effectum. Potestque inductione confirmari, tam in qualibet causa indiuidua & vna numero, quàm in ea, quæ est vna genere vel specie